





10  
2. D. B. V.  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC  
DOMINO,

DN. FRIDERICO AUGUSTO,  
PRINCIPE REGIO, ET ELECT. SAX. HEREDE,  
CETERA.

QVÆSTIONEM POLITICAM:

AN  
RELIGIO LUTHERANA  
MATER SIT ET NUTRIX  
TYRANNIDIS POLITICÆ?

*Cum Consensu Ampliff. Ordin. Philosoph.*

PRÆSES

M. FRIDERICUS  Strunck/  
Mariæm. Misn. & Elect. Alumn.

UT ET  
RESPONDENS

ABRAHAMUS SIEGERTUS,  
Rückersw. Misn.

*Ad diem XXVIII. Sept. ANNO c1s 15ccIII.*

H. L. 2. C.

Eruditorum examini exponent.

---

WITTENBERGÆ,  
LITERIS JOHANNIS GOTHOFREDI MEYERI.



PRO-RECTORI ACADEMIÆ  
MAGNIFICO,  
V I R O  
ILLUSTRI AC CONSULTISSIMO,  
DN. D. JOH. HEINRICO  
BERGERO,  
POTENTISS. REG. POLON. ET ELECT.  
SAX. IN SUMMO PROVOCATIONUM SENATU CONSI-  
LIARIO GRAVISSIMO, ANTECESSORI JURIS, COLLE-  
GIORUMQVE, QUÆ VITEMBERGÆ SUNT, UT ET  
INFERIORIS LUSATIÆ IUDICII ASSESSORI  
CELEBERRIMO,  
DOMINO, PATRONO ET PROMOTORI  
SUI POST DEUM MAXIMO,

In grati animi, pro summis in se beneficiis,  
signum, ulterioremqve commendationem

Exiguas hæc primitias Academicas  
offert & dicat

P R Æ S E S.



17 WA 1368



Vod vides B. L. non pruritus juvenilis, non arrogantia opus est, sed pietatis. Pietas enim has nobis partes detulit, hæc incepit, hæc elaboravit, hæc absolvit. Summi, quos nobis Deus clementissimè concessit, Patroni, specimen quoddam nostræ qualiscunqve operæ desiderant, quin imo sua nos liberalitate ad id edendum invitant; Quibus obstrepere & repugnare, nonne pessimum facinus, imo nefas esset? Et eò facilis veniam à nemine non nos consecutoros esse speramus, si quid absqve judicii acumine nobis erit elapsum: Humanæ memores levitatis, non minori diligentia, quàm ingenuitate fatebimur & corrigemus.

II. Amore complectimur Philosophiæ partes, quæ licet per se ob dignitatem suam expetantur, viam tamen sanctiori etiam Theologiæ studio monstrant & quasi præmuniunt; Quippe in quibus demum tritum istud locum invenit: *ubi desinit Philosophus, ibi incipit Theologus.* Quum proinde haud ita pridem in libellum inciderimus, ab Anonymo, & lingua quidem Anglica conscriptum, sed postea gallicè editum, autor vocat: *Erat du Royaume de Danemark, sive statum Regni Daniæ, Amstelodami An. 1695.* jure meritoqve hominis Calviniani impudentiam detestantes indignati sumus, regni licentiâ fretum, linguæ etiam temeritatem non occultasse, & Lutheranam religionem, ceu matrem & nutricem Tyrannidis politicæ, traducere non dubitasse. Hoc certè ceu Porisma quoddam, ex præmissa Daniæ descriptione fluens, facto ipso demonstrare conatur. Ipsum audiamus, ne fortè injuriam homini facere videamur. Concludens libellum: *Nous nous, inquit, sommes tous trompez de regarder la religion Romaine comme la seule Secte du Christianisme propre à introduire & à établir l'Esclavage. Mais je prendrai la liberté de dire, que les autres Religions, & particulièrement la Luthérienne, n'y ont pas moins bien réussi que le Papisme-même. h.c. Valde nos fefellerunt oculi nostri, intuentes religionem Romanam, tanquam sectam Christianismi, quæ sola ad introducendam servitutem apta sit & idonea. Sed affirmare sustinerem, quod & cetera, præcipue verò Lutherana non minus in hac parte profecerint Papismo.* Calvinismo contra hic ingentem præ cæteris attribuit prerogativam. Quæ quum non possint non puriori nostræ Ecclesiæ esse dedecori; Nos verò omnes vires, si quæ sunt, divinæ gloriæ & defensionis agnitæ veritatis mancipaverimus: Bono cum Deo quæstionem pertractare sustinimus: *An Religio Lutherana Mater sit & nutrix Tyrannidis politicæ?*

III. Ne tamen, nos falcem in Theologorum immittere messem, quis arbitretur, ante omnia demonstratum dare curabimus, Philosophi partibus, non Theologi, hoc ipso nos defungi. Quem enim mortalium fugit, Deum præter potestatem civilem curam etiam circa religionem imperantibus detulisse? Et rectè jam pridem Politici, quid hac in parte deceat, ringentibus licet Pontificiis, principes docuerunt. Vid. Grotius (a), Arniseus (b), Cellarius (c), & quis non? Hanc ipsam verò circa sacra potestatem dividunt in internam & externam. Vid. Ziglerus (d) Qua occasione non possum non monere, esse quosdam, quibus hæc distinctio non satis accurata esse videatur, quandoquidem potestas, quæ coactione nunquam carere possit, priori membro non competat. Sed, pace horum dixerim, idem jamjam celeberrimus Ziglerus (e) observavit, neque tamen distinctionem improbavit ipsam, tantum abest, ut aliquid novi invenisse gloriari possint. Enim verò interna ista potestas dicitur, non quasi in conscientias auditorum clerici dominari docerentur, sed, uti fidus istud Academia nostra olim observavit, propter officium, circa quod clerici versantur. Quemadmodum enim majestas civilis circa externam disciplinam, defensionem & conservationem Ecclesiæ occupata est; cæterum verò nec docet ipse publicè, nec sacramenta administrat: Ita clerici ad magis interna admittuntur, & quanquam conscientias non dominantur, jura tamen administrandi sacramenta & prædicandi Evangelium, non minus, quam civilis majestas potestatem summam, à Deo acceperunt. Deinde falsa nituntur hypothesi, quasi potestas sine coactione esse non possit. Non est dubium, quin vocabulum potestatis hoc loco nihil aliud significet, quam jus, quo alicui hoc vel illud liceat divino humanoque agere jure & dare effectum. Sic potestati politicae circa sacra à Deo T. O. M. concessum & injunctum est, ut sacerdotes & personas Ecclesiasticas constituat, hæreticos coerceat, de ceremoniis disponat, & sic porro; eodem modo divino humanoque jure personarum Ecclesiasticarum conscientias obstrictas esse novimus, ut auditorum salutem omnibus viribus promoveant, verbum Dei doceant purè, & sacramenta fideliter administrant. Quamquam itaque istis insuper liceat subditos per externam vim ad obsequium compellere; his vero ad physicam & externam vim adspirare non sit concessum: Præter hanc ipsam tamen sibi adhuc demandatam sciunt sacerdotes coactionem moralem, quæ ἀναγκάσειν (f) s. cogere homines ad epulas cœlestes frequentandas tenentur. De Tyranno autem, ejusque causis agere, quum quodammodo sit Politicis proprium, à proluxiori deductione abstinemus, & postquam quæstionem illustraverimus, statim ad eandem decidendam & vindicandam pedem sumus promoturi.

IV. Re-

(a) in opere posthumo, de imperio summarum Potestatum circa sacra. (b) Lib. II. cap. 6. de Jure majestatis. (c) Lib. II. c. 14. Politica. (d) Lib. I, cap. 13. §. 14. de juribus majestatis. (e) l. c. §. 15. (f) Luc. XIV, 23.

IV. Religionis suæ, quam rectius superstitionem vocares gentiles quoque fuerunt sæpe tenacissimi: regnandi tamen cupiditate abrepti, nonnunquam hanc ista obumbrarunt, & quasi alia non possent via huc pervenire, promoverunt. Tanta religionis vis est! tanta potentia! Neque in solum ascendere, neque feliciter satis idem tueri posse sibi videbantur, nisi vel his munimentis securos se & satis tutos a subjugandorum pertinacia, subditorumque perfidia præstitissent. Nemini Christianorum ignota fore speramus exempla *Sanberib (g) Assyria*, & *Necho (h) Egypti Regum*, quorum iste Hiskiam ad deditionem commovere; hic vero Josiam, dum se domini bella gerere causabantur, ab incepto deterrere conabantur. Quibus ex profanis auctoribus adjici possunt, terror ille gentium *Alexander M. (i)* qui ut Indi se Deum crederent optabat, ne divinitatis famâ perculsi, nimis eum diu resistendo morarentur: Et *Attalus (k) Hunnorum princeps*, Dei se flagellum vocans, quo hostes ejus pœna divina se submitterent, nec arma contra Dei ministrum capere sustinerent. Quid? quod ex Philosophis, tam antiquioribus, quàm recentioribus non desint quidam, qui principes non solum has artes docent, sed subditis etiam necessitatem quandam, quicquid magistratus jussit, credendi imponunt & inculcant. Huc *Ciceronem & Platonem* refert *B. Alberti (l)*, quibus nos addimus *Numam & Lycurgum (m)*, qui leges suas civiles, Deorum consilio popularibus scripsisse persuadebant, quo majori religione ab iisdem observarentur. Recentiorum, qui ita principes informarunt, dux est *Macchia vellus*, quem *Hobbseus* & alii turmatim sequuntur. Equidem *Illustr. Pufendorffium* olim *B. Alberti (n)* etiam in hanc classem retulit, sed quum deinde magis se explicuerit, (o) merito ab hoc crimine absolvitur. Scilicet sic sol secundum horologium cursum instituet, quæ res mirros dies, monstrososque menses Politicos orbi obtruderet, & vel invito imperaret.

V. Quis verò Tyrannidem ita stabiliri posse non videret? cum enim nulla re magis multitudo, quàm superstitione regatur; nihil reliquum est, quàm ut Magistratus civilis religionem ad coercendos, imo & opprimendos subditos idoneam in rempublicam introducat, & satis sic potentia ejus erit prospectum. Id quod asserere Philosopho Christiano omnino est dedecori. Nullam pene hæresin Ecclesiam Christianam concussisse, quæ non sub principum tutela virus conceptum latius fudisset, qui sacra monumenta consignant, pridem annotarunt. Manum enim lavabat manus, & sic hæretici, modo ex Ecclesia non ejicerentur, quemque sibi populoque imperare, non attendentes, quo jure, quæve injuria id fiat, facile permittebant. Exemplo nobis sit *Eusebius (p) Nicomediensis Episcopus*

A 3

(g) *Esa. XXXVI. 10.* (h) *2. Chron. XXXV. 28.* (i) *Curt. lib. VII. cap. VIII. (k) Matth. Theatr. Hist. p. 735.* (l) *Part. II. cap. I. §. 20. n. 30. Comp. J. N. (m) Valer. Max. lib. 1. cap. 2. (n) l. c. §. 23. n. 32. (o) Vid. Kulpis. in Monzambanum p. 275. qui tamen Monzambanum excusare hac in parte non vult. (p) Matth. Theatr. Hist. p. 679.*

*Arianus.* Quum enim baptizato ante mortem Constantino M., testamentum sibi ab Imperatore morti proximo traditum Constantio Filio reddidisset, hujus favorem ea re sibi peperit, ut augustissima Imperatoris domo hæresi infecta, Ariani semper postea haberent, de cujus defensione sibi gratulari poterant. Nec saniori mente *Nestorius* (g) inter hæreticos non ultimus, gratiam Theodosii II. pientissimi Imperatoris ambiebat. Publicè certè pro concione ab illo contendere non erubuit, ut ipsum in compescendis hæreticis adjuvaret; se verò ut Persæ, cum quibus Imperatori tunc res erat, vinerentur, operam quoque esse navaturum. *Papismus* ipse nulli faciliè rei magis suum debet ortum & incrementum, quàm huic malo. Monstrum enim Imperatoris Phocas (r) Bonifacio III. Episcopo Romano titulum œcumenici Episcopi, quem Gregorius M. in Johanne Jejunatore Episcopo Constantinopolitano reprehenderat, Mauritio Imperatore cum conjugè & liberis nefarie interfecto, sibi imperium invadenti, omnibus modis Romanum Episcopum demerendum ratus, hoc consilio concessit, ut ejus autoritate occidentem in obsequio contineret. Quantum vero adhuc hodie fanatici, principum animos occupantes, Ecclesiæ orthodoxæ damni inferant, alios penes sit judicium. Nos propius ad institutum accedimus, saltem illud quasi obiter monentes, nos voce Religionis, cujus variæ significationes apud *Clasenium* (s) occurrunt, impostero plerumque in ea significatione usuros, quæ doctrinas & sententias Deum colenti necessarias exprimit, sive ut Theologi loquuntur, fidem objectivam: Famosiorem tamen, quæ rationem ipsam Deum colendi indicat, non plane excludimus: quandoquidem enim hæc ex illis fluere solet, hinc faciliè hæ significationes combinantur & junguntur.

VI. De Magistratu Politico, quas foveant hodie sententias, qui servatorem Christum agnoscunt, nunc nobis dispiciendum est. Hos enim inter Lutherani, quod Tyrannidem introducant in Rempubl. & foveant temerè accusantur. Nobis de aliis prius judicandi, quàm nostram doctrinam examinemus, sit libertas. Media ingredienda est via; nec in humanis principibus resistendum, nec divinus honor obsequio principum è medio tollendus. Immane quantum hic quoque à veritatis tramite recedunt *Pontificii*. Quam diu enim horrendum dogma, *Pontificem subditos à juramentis absolvere posse* (t), audietur; Quam diu detestanda doctrina, de *fide hæreticis & à Papa excommunicatis non servanda* (u) valebit; Quam diu denique *execranda Jesuitarum praxis*, reges per sicarios tollendi, florebit; non est, ut principum quisquam, sibi de autoritate & salute satis cautum esse, firmiter credat. His ipsis enim *Monarchiam papalem* suffulcunt (x), Et quàm contumeliosè Imperatores ipsi & reges à Pontificibus habiti sint, anti-

(g) Idem p. 731. (r) Vid. Horn. Hist. Eccles. p. 135, 136. (s) In Religione Polit. cap. I. (t) Vid. Scherz. Syst. p. 717. (u) Bellarm. de Pontific. Lib. V. c. 7. rat. 3. (x) Vid. Cl. Dn. D. Rechenbergius Dissert. de Ratione Status Religionis & Ecclesiæ Papæ.



qua & nova loquitur historia. Testantur *Theodosius M.* (y) *Heinricus IV.* (z) *Heinricus V.* (a) *Fridericus Borrbarossa* (b), *Heinricus VI.* (c) *Ludovicus V.* (d) *Maximilian I.* (e) *Imperatores, Elisabetha Angliæ Regina* (f), & *Heinricus III. Galliarum Rex* (g), aliiqve, qui omnes aut insignes contumelias, aut mortem ipsam à Pontificiis (b) sunt perpesi. Id quod nonnullis politicis dubitandi occasi-  
nem dedit, an Principes, qui Papæ potestatem agnoscant, jure Monarchæ vo-  
cari possint? Quicquid verò hujus rei sit, illud certum est, quòd reges Galliæ (i)  
hunc autoritatis papalis gradum è regno suo eliminarint, magnaqve ex parte gra-  
ve hoc excusserint jugum. Has ipsas verò in principes injurias, tantum ab-  
est, ut publice prodant, ut potius, si reges experiantur sibi grotiosos, & ipso-  
rum scenæ infervientes, non solum subditos ad obsequium spiritualibus mi-  
nis adhortentur, sed & integra aliorum regna & provincias istis adjudicare co-  
nentur. Quam insaniam *Americæ Barbari* (k), Hispanorum sævitiam sentientes  
& de insania eorum conquerentes, risu dignum judicarunt. Hinc & *Anglus nos-  
ter* (l), Religionem Pontificiam aptam ad introducendam servitutem agnoscit:  
*On convient, inqviens, à la verité, que le Papisme est prope à introduire l'Esclava-  
ge* quod interpretamur, *Conceditur, Papismum aptum esse ad introducendam ser-  
vitutem.* Quem honorem nos Pontificiis non invidemus, quin potius hoc  
crimen iisdem haud temere adjudicamus. Interim tamen nec negandum,  
quòd servitus stabiliri possit sine Romana quoqve religione, quod & *Anonymus*  
(m) contendit, quando: *Mais on nie, inquit, que l'Esclavage ne puisse s' établir  
sans le secours du Papisme, i. e. Verum negatur, quòd servitus stabiliri nequeat sine  
adjutu Papismi.* Hoc enim, qui asserere vellet, reclamante Historia civili & Ec-  
clesiastica, omnem pudorem exuerit est necesse. Quis verò nisi omnium impu-  
dentissimus ad *Lutheranam religionem* ideo statim concluderet?

VII. *Calvinianus* nunc ordo tangit: quos magis ad Aristocratiam & Demo-  
cratiam, quàm Monarchiam animis doctrinaqve propendere, eruditi pridem an-  
notarunt (n). Nec magna hoc admiratione dignum judicamus. Quum enim  
ortum & incunabula Calvinismus in Aristocraticis & Democraticis Rebus publi-  
cis ceperit, uti *Zwinglii, Bucerii, Oecolampadii* Scholæ testantur; popularium  
gratiam ut ineant, majoribus Polycratiam, quàm Monarchiam laudibus evehere  
coeperunt. Hinc horrendæ doctrinæ ortum nactæ: *Leges civiles non obligare  
consci-*

(y) *Hornius in Hist. Eccles. p. 99. §. 100.* (z) *Vid. Korholt. Hist. Eccles. p. 420.  
421.* (a) *Vid. Comp. Goth. Hist. Eccles. p. 596. 597. 598.* (b) *Matth. Theatr. Hist.  
p. 929.* (c) *Hildebrand. Synops. Hist. univers. p. 198.* (d) *Buno in Idea p. 210.  
(e) Vid. Orspinian. in Maximiliano. (f) Pufend. in Introd. p. 261. 262. (g)  
Idem p. 425. (h) Vid. B. Zieglerus de Jurib. Majest. Lib. I. cap. I. §. 22. p. 15. seq.  
(i) Idem l. c. §. 25. p. 17. (k) *Pufendorff. in Introd. p. 129. (l) l. c. p. 288. (m)  
l. c. p. 288. (n) Vid. Monzambano de Statu Imperii Germanici cap. IIX. p. 304.**

*conscientias; subditos se adversus reges defendere, illisque resistere posse, imo in jus*  
*vocare reges & capite punire nihil prohibere.* Hinc detestanda regum supplicia:  
 hinc *insidia & doli*, quibus principum à Calvinismo alienorum capita sunt solli-  
 citata. Calvinianorum iste terror *Christianus II.* (o) documento nobis erit,  
 quem ne dimidium quidem ætatis assecutum fuisse novimus, nisi divino au-  
 xilio ab horum sceleribus esset defensus & vindicatus. Inde factum est, ut ex  
 Anglia post Eduardi VI. mortem expulsus *Johannes à Lasco* (p) cum complici-  
 bus ad eas regiones confugere fatuus duceret, quæ regum arbitrio & mandatis  
 non totæ subjacerent. Ex Anglia enim vecti in Daniam (Dania vero Rex tunc  
 legibus regni fundamentalibus adhuc tenebatur) mox Lubecam, hinc Hambur-  
 gum & sic porro petebant, quas omnes ferè ad statum Aristocraticum & Demo-  
 craticum pertinere nemo non videt. *Pufendorffius* (q) certè commemorat in  
 Anglia tempore Cromwelli nonnullos tantum odium gubernationis regie ce-  
 pisse, ut nolissent amplius precari: *Adveniat regnum tuum, sed adveniat respu-*  
*blica.* Quid contra hæc *Clariff. Becmannus* (r) *Francosurti* semel, iterum ite-  
 rumque molitus sit, recordamur probè: *Dannbauerus, Wandalinus*, alii non pa-  
 rum ipsi ea de causa vapulant; interim omnia ejus effugia tanti æstimanda non  
 esse judicamus, ut ea propter à sententia nostra recedendum. Judicari vult ex  
 scriptis Calvinianorum publicis seu symbolis; sed id à *Dannbauero & Wandalino*  
 factum: Et quid si quodammodo cautius in scriptis publicis sint locuti Calvinia-  
 ni, vel ut solent, hanc doctrinam data opera non tractarint? Puritanorum s. in-  
 dependentium dogmata, tanquam fanaticorum, Ecclesiæ toti Reformatorum,  
 ut vocari malunt, non imputandos contendit; quo ipso *Miltonum*, cujus defen-  
 sio *Ziglero* (s) rectè ex Calvini autoritate confuta dicitur, & alios regicidii Caro-  
 lini defensores ab Ecclesiâ suâ cum facto isto horrendo separare cenatur: Sed  
 quid si ipse (t) cum *Cl. Salmasio* Presbyterianis rebellionis adversus Carolum ini-  
 tia tribuenda concedit? Pluribus hoc deducere pagellarum angustia non per-  
 mittit; non possum tamen non specimen quoddam proferre, quâ felicitate *Bec-*  
*mannus Dannbaueri* & aliorum, ex scriptis Calvinianorum depromptas objectio-  
 nes solvat, ex quo de cæteris facile judicari potest. *Disput. I.* (u) affert horren-  
 dam in principes injuriam, quam *Dannbauerus* ex *Calvino* ipso desumpserat,  
 quum, *Abdicant*, inquit, *se potestate terreni principes, cum in Deum insurgunt,*  
 imo in-

(o) Vid. *Wekk. description. Dresd. p. 139.* (p) Vid. *simplex & fidelis narratio de*  
*insituta ac demum dissipata Belgarum aliorumque peregrinorum in Anglia Ec-*  
*clesia, & potissimum de susceptis postea illius nomine itineribus, Autore Johanne*  
*Utenhovio Gandavo, cum Prefatione. Johannis à Lasco An. 1560.* (q) In appendice  
*Disp. contra Velth. p. 581.* (r) In tribus disputationibus de *Securitate Doctrinæ*  
*Reformate Religionis de Magistratu Polit.* (s) In prefatione *Exercitationum cir-*  
*ca Regnum Anglorum.* (t) *Disp. III. p. 77.* (u) cap. II. §. 2. p. 21. seq.

imo indigni sunt, qui in numero hominum conserantur, ideoque in capita eorum potius conspuere oportet, quam illis parere, ubi sic protervium, ut velint spoliare Deum jure suo. Ad hanc itaque respondet: Calvinum querere, cur Daniel dicere potuisset, se nihil commississe in Regem, quanquam quod præceperit, omisisset, & ita sequi verba citata. Sed respondemus: Hoc nihil ad rem facit, quod si & omnium gravissimè rex adversus Deum peccet, nullum tamen jus accipit subditus detrectandi munia civilia, multò minus conspuendi in faciem ejusdem. Hic voculam potius in auxilium vocat, & sensum esse asserit: *Satius & minus malum esse, conspuere in principum capita, quam illis parere.* Nos respondemus, rectius docuisse Calvinum, si jusisset discipulos suos omnes poenas in tali casu à principe perferre, quam ut conspuere eosdem concessisset. Inter duo enim mala culpa nullum planè est eligendum. Sed posito, nonnullos, quandoquidem sub principum imperio hodie vivunt, saniora tradere, quibus cum nobis in præsentem etiam res non est, non tamen totam hac in parte Calvinianorum causam meliorem reddent. Scilicet hic quoque se prodit forex, cum veritas aua sit. Sistimus interim *Becmanno Anglum nostrum*, qui, quanquam nomen, urgente scelere conscientiam, reticuit, Anglum tamen se, & Calvinianum non fatetur saltem, sed & plus vice simplici gloriatur. Quid verò hic ipse autor contra principes molitur ex *thesibus nostris*, quas novissimè ipsi opposuimus cognosci potest. Nomen verò quod reticuit, nec Calvinianis, nec ipsi quid prodest, quin potius impiorum animorum indicium est, crimenque majestatis læsæ in immensum auget. Quid verò in *Scotia* hodie quoque moliantur adversus reginam, & successores acta publica loquuntur. *Quamdiu itaque Lutheranorum regiones servitutis cujusdam accusant; Quam diu doctrinis eorum de magistratu civili* quandam ad Tyrannidem proclivitatem tribuunt; *Quam diu denique seditiosas plane voces adversus principes evomunt: Tamdiu sana doctrina de magistratu, orthodoxia Lutherana jure audiet, nec Pontificiis, nec Calvinianis, quicquid* *Becmannus (x) in contrarium nitatur, temerè adscribenda. Neque verò hoc inficiatur Anonymus (y) noster, sed hanc causam esse asserit, cur Calvinianis nos simus infesti: Mais ils haïssent le Calvinisme autant, que le Papisme, & la raison, qu' ils en donnent, est, qu' il est contre la Monarchie absolüe, & qu' il n' admèt l'obéissance sans bornes, h. e. Eodem Lutherani odio Calvinismum & Papisimum prosequuntur, & rationem hujus rei hanc dant, quod sit contra Monarchiam, & quod non admittat obedientiam illimitatam.*

VIII. Tandem quid nos Lutherani de Magistratu civili credamus, aperto animo profiteamur. Sic enim fore speramus, ut & calumnia abstergantur, & veritas etiam omnium in oculos incurrat. Præsertim verò id demonstrare conamur

(x) Disp. II. p. 37. (y) l. c. p. 281.

bimur ex symbolis ecclesiæ nostræ propriis, & scriptis Lutheri genuinis. Iſtis enim, qui ſubſcribere recuſet, inter nos neminem fore confiſimus, quin potius, quod conſtantiffimè ad ultimum uſque vitæ halitum illis fit adhæſurus, vel ſua ſponte religione ſe obſtricturum: His verò vel ob viri fidem, & heroicum, qui iis inſidet, ſpiritum, nullum ejusdem Diſcipulorum temerè reclamaturum. Ingenti fanè jucunditate ſuperfundor, quoties regilionem noſtram, ceu roſam inter ſpinas intueor. *Pontificii* (z) Lutherum Monarchomachias accuſant; *Miltonus* (a) ipſius conſenſu gloriatur: *Calviniani* nescio cujus nos Tyrannorum patientiæ arguunt, quin & Tyrannidem ipſam & ſervitutem ex noſtris doctrinis fluere, clamant. Scilicet habemus indicium virtutis, cui mediam tenere viam proprium. Doctrina omnis de magiſtratu civili commodè ad *tria capita* referri, poteſt; ad *originem* ſcilicet ejus; *potestatem*, eidemque debitum *obſequium*. De *priori* credimus, immediate à Deo eſſe eundem derivandum. Sic enim confitemur in A. C. (b) *Legitimas ordinationes civiles eſſe bona opera Dei &c.* Id quod repetit Apologia (c) & addit: *Et ordinationes divine, quibus rito Chriſtianus uti poteſt.* Quod ſi quem vocabulum *immediate* quo uſi ſumus, offendant; Reſpondemus, quod modi perveniendi ad magiſtratum à Deo vel dirigantur vel permittantur, nulla opus erat confeſſione ſiquidem nemo temere negaret; ſed quod ipſe magiſtratus à Deo ſit inſtitutus, propter *Anabapitiſtas* dubium erat. Deinde conjungit Apologia, hanc ipſam aſſertionem cum *quæ contrahere matrimonium*, ut doceat, quod quemadmodum matrimonium immediate habeat Deum autorem, ita nec magiſtratu eandem eſſe denegandam. Cæterum ne quis fortè de indulgentibus, clementibus atque legitimis principibus hæc interpretanda eſſe ſomni et, declarat porro Apologia: *Evangelium*, inqviens, *non ſolum externas politicas approbat, ſed nos illis etiam ſubjicit, ſicuti neceſſario ſubditi ſumus legibus temporum, vicibus hyemis & æſtatis, tanquam divinis ordinationibus.* Quibus docere vult, quod ſicuti piiſ atque clementibus principibus ſponte nos ſubjiciamus, ita nec cum ſimis ſubjecti, poteſtatibus iniquis nos ſubtrahere, ſed neceſſario nos ipſis ſubjicere debeamus, non aliter quam frigoris hyeme & fervoris ſolis æſtate moleſtiæ. Nec aliter de origine majestatis docet *Lutherus* (d) in *Libello de Magiſtratu politico*. Quum enim de occasione libellum conſcribendi tradidiſſet, ſtatim progreditur & originem majestatis civilis ex locis Rom. XIII. & I. Petr. II. oſtendit, quem & *orthodoxi ſere omnes* citato quaſi curſu ſequuntur. *Poteſtatem* verò magiſtratus ſcimus eſſe ratione objecti vel *profanam* vel *Eccleſiaſticam*. Iſta iterum vel *absoluta* eſt, vel *reſtricta ſeu limitata*. *Absolutam*

(z) Vid. *Gwielm. Barclaj. De Regno & Regali poteſtate* p. 558. (a) In *Deſenſione pro populo Anglicano* p. 16. p. 105. p. 196. (b) *Artic. XVI.* (c) p. 25. (d) *Tom. II. Altenb. fol. 259.*

agnoscimus in regnis absolutis, cum admonitione, ut quancquam ejusmodi principibus ratione legum positivarum, quidvis agere liceat, cogitare tamen debeant, quod Regem Regum & Dominum Dominantium judicem aliquando sint experturi. Sic cum *Confessoribus* (e) Magistratus esse dicimus: *exercere judicia, judicare res ex imperatoris & aliis presentibus legibus, supplicia jure constituere, jure bellare, militare, lege contrahere &c.* Quo ipso & limitatam asserunt. Nam dicunt, principem debere judicare *ex presentibus legibus.* Si itaque princeps quibusdam legibus fundamentalibus se obligaverit, tenetur omnino etiam illis stare. Quibus læsis equeidem jus habent subditi principes monendi, monitosque urgendi, sed in capita eorum conspirare, & capite eos mulctare, nulla legum transgressione ipsis conceditur. Quousque vero se extendat *potestas* magistratus civilis *circa sacra*, nemo certe melius docuit, quam *B. Megalander* (f) *in auro libello de magistratu Politico.* Repugnare nempe Deo & conscientie dominari, sibi religioni ducat princeps, quin potius divinam gloriam omnibus viribus promovere, & quicquid isti aliquid detrahere videtur, aboleri curet. Festinandum nobis est ad *obsequium*, quo subditi superiores respicere tenentur. Ubi statim lectores dimittere possumus ob angustias operis in *Aug. Conf.* (g) & cum ea inculcare; *Necessario debere Christianos obedire magistratibus suis & legibus, nisi cum jubeant peccare, tunc enim magis debere obedire Deo, quam hominibus.* Interim conferatur & *Apologia* (h) & *Catheſis* (i) *major*, ut & *Lutherus* (k) *in sapius laudato tractatu.* Quod si verò experiantur subditi rigidos quodammodo & iniqvos dominos, tamen potius ad preces confugiant, quam ad arma & expectent vindices suæ libertatis alienos, quam ipsi ad arma profiliant, vel dolo favitiam tollere conentur. Cæterum monemus adhuc fedulo, quod quemadmodum Respublica varient, & alia altera majori libertatis gradu gaudeat; ita nec libri nostri symbolici, nec nostrates eandem hac doctrina imminuant, quin imo maximo pondere stabiliant: Si istud saltem nunquam non observetur, quod illic, quibus post Deum summum honorem debemus & obsequium, licet in aliquo fortè & pluribus à justitia aberraverint, violentas à subditis inferri manus, nefas sit ducendum.

IX. De hac itaque doctrina in presenti operæ pretium esse judicavimus quærere, *An mater sit & nutritrix Tyrannidis politica?* hoc est, an ex ea statim fluat, principibus in gubernanda Republica saltem suam utilitatem respicere, & in subditos pro arbitrio favire, eosque urgere esse concessum; vel etiam an hæc doctrina pessimum ejusmodi facinus adjuvet, & principes in eo confirmet? Nos negamus illud & pernegamus. Cæterum hortamur contradicentes in limine statim, ne committant hic fallaciam, quam Logici vocant accidentis. Quod si enim

B 2

prin-

(e) *Art. XVI.* (f) *loc. p. 208. seq.* (g) *Art. XVI.* (h) *p. 217.* (i) *p. 441.* (k) *p. 281.*

princeps quidam callidus, perspectâ subditorum pietate, hac ad Tyrannidem abuti vellet, quandoquidem de subditis ea propter nihil sibi verendum esse sciat; Id ipsius malitiæ imputandum foret, tantum abesset, ut nostram maculare doctrinam posset. Quam priusquam ab *Anonymi accusationibus* vindicemus, breviter invictis quibusdam rationibus, ceu aggere muniamus, & quasi propugnaculo firmemus.

X. Sequimur itaque in his omnibus *doctrinam & exemplum Christi, Prophetarum & Apostolorum*. Qui majestatem à Deo ipso originem trahere agnoverunt & confessi sunt, quoniam & illius se potestati se permiserunt, neque tamen Tyrannidem approbare, fundare aut roborare voluisse possunt credi. Evolvantur inter cætera loca 1. Sam. VIII. 10. 11. Rom. XIII. 1. 1. Pet. II. 13. 18. Joh. XIX. 11. Hæc ipsa *anonymus noster* (1) non ignoravit, hinc obicem ponere vult: *l'exemple de l'Escriure, qu'en fait tant valoir, je veux dire, Saul regnant sur le peuple Juif, & la description, que fait Samuel, de ce que seroit un Roy, & non de ce, qu'il pourroit legitimement faire, ne prouve rien du tout, ou s'il prouve quelque chose, c'est précisément le contraire, de ce qu'on voudroit, qu'il prouvat.* h. e. *Exemplum Scripturæ, cui tantum roboris tribuunt, Saulum immuo, super populum Judaicum regnantem, & descriptio, quam facit Samuel, quid rex faciat, non verò, quid jure facere possit, nihil plane probant, aut si quid probant, contrarium certè est, quàm quod volunt, ut probent.* Sed *Wandalinus* hæc omnia vindicavit, & Iliadem post Homerum scriberem, si prolixè ea repetere vellem. Deinde nititur sententia nostra *jure naturæ*. Hoc enim ut stemus promissis, requirit, omnemque subditis, qui semel se sua sponte subjecerunt, vel jure belli sub ditionem redacti sunt, repugnandi eximit potestatem. Quid? & liberè provocare possumus *Anonymum*, ut nobis siffat exemplum quoddam veræ Tyrannidis in illis terris, ubi religio Lutherana floret? Hoc præstet, & manus dabimus victas! Enim verò non statim Tyrannus dicendus, qui *Rempublicam* segniter tractat, sine id faciat ex imbecillitate mentis, *judicijque defectu*, seu ex *supina & deliberata negligentia*, quippe quæ proximo accedit quidem ad Tyrannidem, sola tamen eam non constituit, sed ab ea differt, veluti privatio ab habitu; Nec Tyrannum arguunt quævis vitia privata, ut sunt intemperantia, hæresis, paganismus, sed tangere illa ac petere debent jugulum salutis, uti loquitur Excell. Dn. Profess. Ræhrensee, (m) *Patronus noster & Præceptor ob paternam in nos affectum admortem usque nostram venerandus, omnique obsequio colendus.* Quærat itaque quam diu liberit, nec Dania, quam accusat, nec Sveciæ, nec Germania ejus scopulo inservient, quicquid etiam murmuret. Tandem & *indicia Tyrannidis*, seditio- nes nempe, à ditionibus Lutheranorum absunt, quas ut ex libertatis suæ domicilio eliminet, tantam curam adhibet Anglus (n): *Il me semble, que le moyen de*

(1) In præfat. lib. (m) In Coll. Polit. Ad. S. Part. I. c. VI. §. IV, Th. 3. (n) In præf. lib.

maintenir nostre Republique dans ses legitimes Libertez; sans qu'il fut necessaire d'essuyer de cent en cent ans une ou deux Guerres civiles, seroit un bien digne, d'être recherché. h. e. *Videtur mihi opera pretium esse querere medium, Rempubliam nostram in debita libertate defendi, ita ut necessarium non sit, ut intra centum annos ulla bella civilia sequantur.* Sed per Dei gratiam & defensionem Principum nostrorum ab hac cura liberi sumus, nec, quod svadet *Anonymus*, itinera ea propter à nobis ut instituantur, est necessarium. Quum proinde ne indicia quidem invenire Tyrannidis penes nos posset, quanam erat causa, quod religionem nostram ceu matrem & nutricem Tyrannidis accusare, ipsum non puduerit?

XI. Sed ne temerè id fecisse videatur, pondera addit, quibus unicuique ad oculum, quod dicitur, demonstrare conatur, se nihil hic finxisse, nihilque commentitum. Urget itaque (o) : *Ils n'oublent pas à la verité de leur recommander souvent ce qu'ils appellent la Reine detoutes les vertus, c'est à dire, la soumission aux superieurs, & une obeissance aveugle à l'autorité; Mais ils ne leur apprenent pas, jus qu'ou ils doivent porter cette obeissance, ils leur disent au contraire, qu'elle doit être une obeissance sans bornes.* h. e. *Non obliviscuntur certè illi (juventuti) commendare sapius illam, quam vocant Reginam omnium, virtutem, nempe obedientiam, superioribus debitam & obsequium quoddam cæcum in eos, qui autoritate valent, sed non docent illam, quousque se extendat hæc obedientia, quin potius dicunt esse obsequium illimitatum.* Et alibi (p) *Tous ceux, qui se donneront, la peine de faire attention aux païs Protestans Etrangers, qui ont perdu leur liberté depuis, qu'ils ont changé leur Religion pour une plus pure, demeront convaincus, que ce n'est pas le Papisme en tant que tel, mais la doctrine de l'obeissance aveugle dans quelque Religion, ou elle puisse se trouver, qui ruine la Liberté, & qui renverse par consequent tous les fondemens de la félicité d'un peuple.* h. e. *Omnes, qui non recusabunt contemplari regionem protestantium exterorum, quæ libertate exciderunt, postquam commutarunt religionem suam cum puriori, manebunt convicti, quod non tam sit Papismus, quam doctrina de cæco obsequio in quacunque religione reperitur, quæ libertatem tollit, adeoque omnia everit fundamenta felicitatis populi.* Et alibi. Sed hæc calumnia vix responsione indiget, itaque saltem ablegamus lectores ad §. VIII. nostra dissertationis, ubi manifestè nos ejusmodi illimitatum obsequium non docere videbunt, nisi in rebus, nec Deum nec conscientiam subditorum, nec fundamentales leges regionis lædentibus. Hic citamus saltem adhuc quosdam nostratum, nempe *Dannhauerum* (q), *Scherzerum* (r) &

B 3

Hutte-

(o) In Prefatione libelli. (p) l. c. p. 288. (q) Theol. Casuist. Tom. I. fol. 949.  
(r) System. Loc. Loc. XXXI. p. 744.

Hutterum (s), qui hac de re præ cæteris clarè sunt locuti. Distingvimus tamen inter servitutem & inter subjectionem debitam, seu obsequium; Concedimus facilè, doctrinam Lutheranorum efficere, ut subditi maneant in officio, quod qui conscientiam lædere non vult, sua sponte faciât, est necesse; Sed servitutis iugum nemini imponit, interim tamen, si receperit quisquam, vel vi oppressus sit, non etiam nisi legitimis mediis excutere ut conetur, sedulo monet. Quod si verò *Anonymus* rectè id concludere ex hoc voluisset, debuisset ostendere, subjectionem Daniae absolutam, quæ illi servitus audit, ex hoc capite derivandam esse & deducendam. Nihil vero de hoc dogmate meminit, dum in eo est, ut describat, quomodo regnum hoc factum sit hæreditarium. Dicit eqvidem, viros Ecclesiasticos maxima ex parte dependisse ex nobilibus, adeoque facilè hanc subjectionem concedere potuisse, quandoquidem deinde à solo dependisset rege, Quid? quod & promississent Regi, quod velint omnibus viribus defendere hanc novam ejusdem auctoritatem beneficio potestatis, quam habeant in conscientias civium. Sed enim verò ipse fatetur primam occasionem & causam hujus subjectionis fuisse, quod nobiles nihil contribuere voluissent ad pecuniam, quæ exercitui, qui dimittendus erat post pacem, cuique stipendia debebantur, erat solvenda. Quo facto servorumque appellatione, cum irritassent animos civium, inierunt hi consilium, regnum Regi tradendi hæreditarium. Quamquam itaque Ecclesiastici cum civibus id sunt executi; imo posito, quod civibus svaserint hoc, servitutem tamen id esse negamus, & si esset, non religioni, sed vitio Ecclesiasticorum foret imputanda.

XII Cætera crimina levioris sunt momenti; audiemus tamen, ne temerè quid omittamus. Dicit non parum contribuere ad servitutem, quod nemo nisi Clerici informent juventutem: (t) *Si les pairs, qui sont dans les fers avoient confié l'education de leur Jeunesse pendant qu'ils jouissoient de la Liberté, à des Philosophes, & non à des Ecclesiastiques, ils se seroient gouvernés selon les apparences du joug, sous lequel ils gémissent aujourd'hui, au lieu, que non seulement ils le souffrent de l'beurre, qu'il est, mais même ils l'aprouvent, & s'en font une espèce de plaisir.* h. e. Si regiones, quæ jam in servitutem redacta sunt, educationem liberorum Philosophis, non Ecclesiasticis commississent, cum adhuc fruerentur libertate: iugum, uti apparet, fuissent evitaturæ, sub quo nunc gemunt, quod contra non hodie modo adhuc portant, sed approbant etiam, & nescio quam jucunditatem ex eo sibi capere videntur. Respondemus breviter: Viros, qui Theologiæ operam navarunt, Scholis præponi (quod quidem, ut fatendum, ferè in consuetudinem abiit) penes nos non adeo commune est, ut contrariis exemplis plane destituatur.

(s) Hutterus in LL. f. 1039. a. (t) In Præfatione libelli,



mur. Quid? quod non saltem Ecclesiastici, quod *Doctiff. Morhoffius* (u) dolet, sed & Politici Ephori scholis constituantur, qui in magistrorum doctrinas & mores animadvertere tenentur. Tandem etiam, cui servitutis in Lutheranorum coetu tribuit originem, est, quod nec decentes legant autores in scholis, nec, si legant, ad res ipsas attendant, quin potius, elegantia, relictis ceteris, styli studeant, illamque pueris inculcent. (x) *Mais au lieu*, inquit, *de bons livres, qui forment le jugement, on lit d' ordinaire dans les colleges Estrangers ceux, ou l'on cherche plus l' elegance du latin ou du Grec, qu' on ne fait attention au sujet, qui y est traité.* De sorte qu' il y en a peu, qui lisent ceux, qui parlent un peu hardiment de la Liberté publique, & s' ils lisent, c' est plutôt par curiosité, que par ordre de leurs Maitres. h. e. Sed pro libris bonis, qui *judicium acuumt, leguntur ordinariè in Scholis exterorum illi, in quibus major elegantia lingua Græca & Latina reperitur, ut ne quidem attendatur res, quæ in illis est pertractata. Adeo quidem, ut pauci eorum ibi sint, qui legant eos, qui paululum liberius loquuntur, etsi legant, magis curiositate sua, quam magistrorum suorum jussu ad id commoveantur.* Verum enim verò hæc antiqua *Milioni* (y) aliorumque *Monarchomachorum* erga *Clariff. Salmasium* Calumnia est, adeoque non adaustranda. Cur interim quæso, si tanta pollet sapientiâ *Anonymus*, non nominavit nobis autores eos, qui à nostratibus negligantur? Nos enim persuasi sumus, sed & politicis illustrarint. Quorum vero catalogum alii enarrandum relinquivimus. Nos potius Anonymo nostro ostendimus, non omnia omnibus proponenda esse ingeniis. Enim verò videndus sane esset, quisquis puerulo, vix voces flectere incipienti, axiomata politica inculcare non erubesceret; ut nec iste laudandus, quisquis adolescentem, satis in minutiis fundatum à sublimioribus detrahere conaretur. Turpe tamen est, ad alta anniti, & semper in rebus nihili manere discipulum. Cui malo si præceptor pro fide sua consulere allaboraret, annon ideo, discipulum ad servitutem ducere, foret dicendus? sed ut ab ungviculis statim teneris odio erga Reges & magistratum puerulos imbuamus, & regicidas educemus, nec *Milioni* erga *Salmasium*, nec *Anonymi* erga *Lutheranos*, quantæ quantæ sint injuriæ à nobis impetrabunt: Svademus potius ipsis, & hortamur, idque divino jussu, ut superiores suos honorent & perpetuo quodam obsequio, nisi manifestè divinis præceptis contrarientur, imperata excipiant. Non enim minus eleganter quàm rectè docet *Plutarchus* (z), quo nemo facile melius liberos educare

(u) In *Polybist. Part. I. Lib. II. cap. X. p. 440.* (x) In præfatione libelli. (y) In defensione pro populo *Angliano* Cap. I. p. 17. 18. aliasque. (z) De puerorum institut. cap. VI.

docuit: ἐξ ἀρχῆς τὰ τῶν τέκνων ἢ θῆρυμιζέειν προσήκει. εὐπλάστον γὰρ καὶ ὑγρὸν  
 ἢ νεότης, καὶ ταῖς τέτων ψυχαῖς ἀπαλαῖς ἐπιτὰ μαθήματα ἐντίμματα, h. e. a  
 principio liberorum mores componere convenit. Facile formatu enim & humidum  
 juvenus, & eorum animis mollibus adhuc doctrina instillantur. Ultimò unitati  
 fidei Tyrannidem imputat. (a) Combien il est avantageux à un Prince que ses  
 Sujets soient d' un même sentiment en matière de Religion, c' est ce qui paroît visi-  
 blement par l' exemple du Danemark, ou il n' y a sur le fait de la Religion, ni factions,  
 ni disputes, qui retombent ordinairement sur le gouvernement; mais au contraire,  
 tout le monde convient sur ce, qui regarde la voie du salut, & sur les Devoirs,  
 qv' on est obligé de rendre au Souverain. Une infinité de Gens, qui ne seroient  
 pas fachez de remuer, & qui ont ce semble assez de sujet, attendu l' opression sous  
 laquelle ils gemissent, demeurent dans le devoir, parce- qv' ils ne trouvent pas oc-  
 casion de se rébellier & de se mutiner, h. e. quanta utilitati sit principi, si subditi ejus-  
 dem sint opinionis in religione id apparet clarè ex exemplo Danie, ubi nulla in re-  
 ligione factio, nulla disputatio, quæ plerumque in Republica gubernationem reci-  
 dunt; Sed omnia consentiunt in eo, quod concernit salutis viam & obsequium, quo  
 tenentur principi absoluto. Diversa hominum multitudo, quæ alias non esset re-  
 cusatura res novare & cui, ut videretur, satis causa ad hoc facinus esset, inveni-  
 servitutum, sub qua gemit, manet in obsequio, quandoquidem non invenit occa-  
 sionem rebellandi & seditionem excitandi. Tantum verò abest, ut hoc religioni  
 nostræ maculam inurere possit, ut potius eandem commendet omnibus, qui  
 tranquillam degere vitam cupiunt. Horrenda enim nomina Independentium,  
 Presbyterianorum, Brownistarum &c. quorum infinitus datur apud Anglos ferme  
 numerus, haud immerito cœu pestem Rerum publicarum damnamus; Et quan-  
 tum impediunt Reges in rebus optimis gerendis, experientia testatur. Quod  
 ad extremum monet, nostros sacerdotes dependere in solidum à regibus, istud  
 aut ex ignorantia, aut ex calumniandi libidine ortum habet. Utrumque crimen  
 ingens est, quo Anonymus Anglorum nomen, quo in diabolos eorum reges im-  
 perare dicuntur, pro dignitate tuetur. Nos nihil nugis ejusdem impediti, sa-  
 niorem eidem mentem precamur, Regi verò nostro ac Nutritio clementissimo  
 cum tota Saxonum domo victoriam & defensionem ab hostibus, valetudinem  
 secundam, omniaque ipsi desiderata bona à Deo expetimus, assiduisque  
 votis Numini sanctissimo pro concessis in præsenti viribus, gratias  
 persolvimus atque habemus.

(a) h. c. p. 279.

SOLI DEO GLORIA,

200  
a  
1777  
ati  
les  
fi-  
is,  
re,  
is,  
ms.  
us.  
ön  
s-  
e-  
i-  
00  
-  
is  
a-  
ni  
vi  
n,  
e  
r-  
d  
d  
n  
1-  
5  
o  
n  
5  
3


17 WA 1368

Vol 18-3

64.







Farbkarte #13

B.I.G.

18

2. D. B. 7.

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC  
DOMINO,

**FRIDERICO AUGUSTO,**  
PRINCIPE REGIO, ET ELECT. SAX. HEREDE,  
CETERA.

QVÆSTIONEM POLITICAM:  
AN  
**RELIGIO LUTHERANA**  
MATER SIT ET NUTRIX  
TYRANNIDIS POLITICÆ?

*Cum Consensu Ampliff. Ordin. Philosoph.*

PRÆSES

**M. FRIDERICUS Strunck**  
Mariæm. Misn. & Elect. Alumn.

UT ET  
RESPONDENS

**ABRAHAMUS SIEGERTUS,**  
Rückersw. Misn.

*Ad diem XXVIII. Sept. ANNO 1803.*  
H. L. 2. C.

Eruditorum examini exponit.

---

WITTENBERGÆ,  
LITERIS JOHANNIS GOTHOFREDI MEYERI.

